

45

D. D.  
DISSERTATIONIS THEOLOGICÆ,  
DE  
EXPIATIONE  
JESU CHRISTI  
VICARIA,

---

PARS PRIOR;

QUAM

CONS. REV. FACULT. THEOLOGICÆ IN REG.  
ACAD. ABOËNS,

PRÆSIDE

SUMME REVERENDO ATQUE CELEBERRIMO  
D:NO DOCT. JACOBO  
*GADOLIN,*

PRIM. S. S. THEOL. PROF. ET ARCHI-PRÆP.

PUBLICÆ DISQUISITIONI SUBMITTIT

JACOBUS TENGSTRÖM,  
FACULT. PHIL. E. ORD. ET AMAN. BIBL.  
IN AUDITORIO MAJORI DIE I NOVEMBR.  
MDCCCLXXXIII.

HORIS A. M. SOLITIS.

---

ABOÆ,

TYPIS VIDUÆ REG. ACAD. TYPOGR. JOH. C. FRENCKELL.

# *Conspectus totius Opusculi.*

- §. 1. Historiolam Dogmatis tractandi proponit.
- §. 2. Doctrinam orthodoxæ Ecclesiæ de expiatione CHRISTI vicaria tradit.
- §. 3. Primum pro nostra fententia argumentum petit ex sacrificiis V. T:ti propitiatoriis.
- §. 4. Secundum ex duobus præfertim oraculis V. T:ti hac de re agentibus, scil. Psalm. XL: 7, 8, 9 & Ef. LIII: 4. seqq. deducit.
- §. 5. Tertium in effatis ipsius SALVATORIS Matth. XX: 28. & XXVI: 28. querit.
- §. 6. Quartum defumet ex reliquis sive Apostolorum, sive aliorum Divorum hominum hac de re testimoniis, ut Rom. III: 23. seqq. Joh. I: 29. 2 Cor. V: 21. Gal. III: 13. &c.
- §. 7. Quintum ab ipsa passionis CHRISTI indeole hauriet.
- §. 8. Sextum denique ex doctrina S:æ S:æ de Justificatione hominis coram DEO, vicaria quippe CHRISTI morte fundata, elicet.
- §. 9. Omnibus in unum collectis argumentis, fastigium operi imponet.





### §. I.

**Q**ui vel obiter annales Ecclesiæ Divinæ inspexit, observaverit necesse est, doctrinam de gratiosa generis humani per CHRISTUM peracta restitu-  
tione, non minus quam pleraque alia Religionis re-  
velatæ capita, pro diverso tempore, Doctorum,  
Adversariorum aliarumque rerum habitu, varias eas-  
que insignes fatis in sebolis Theologorum subiisse va-  
riationes. Ante adventum Messiæ, & quousque pri-  
scum DEI, ut loqui solemus, cum humano genere du-  
ravit foedus, imaginibus cultusque Levitici umbris  
involuta jacuit, ut non nisi sapientiores Reip. Judai-  
cæ cives illam plenius intellexerint, vulgi nempe  
maxima parte externis adhaerente cæremoniis, ex  
quibus accurate observatis DEI summi exspectabat  
gratiam, omissa plerumque attenta debitaque inquisi-  
tione in ipsum mysterium maximi momenti de recon-  
ciliatione generis humani, olim a promissio Messia,  
multo hocce rituum & imaginum apparatu adumbra-  
to, peragenda.

Inde autem a quo exspectatissimus hic Mun-  
di Servator hominibus apparuit, plus lucis in hac  
etjam doctrina, uti in plerisque aliis exortum est,  
cum non minus ipse, quam Apostoli ejus ab ipso

meliora edoſti, claris verbis semper & ubique ea Auditoribus suis proponerent, quæ olim tot umbris involucrisque obducta, difficultiora plebi ſaltem intelletu fuerant, ſumma harum rerum ignorantiam, præjudiciaque inveterata, popularium evellere animis, ſummo allaborantes studio. Pandectas N. Testamenti conſulenti hæc omnia testatissima ſunt.

P imis post CHRISTUM temporibus, a simplici Apostolicoque dicendi genere in doctrina hac propnenda parum certe adhuc recedebant Doctores Primitivæ Ecclesiæ. (a) Sequentibus autem ſeculis, cum ob crescentem numerum & folertiam adverſariorum, artificiale magis ſectari cœpiffent Theologiam tractandi methodum, nimioque & perverso ſepe Philosophiæ, inprimis Platonicæ, eidem immiscendæ ducerentur studio, hæc etjam doctrinæ revelatæ pars aliam ſenſim aliamque induebat formam, locutionibusque multis non Biblicis additamentisque alijs ſuperfluis, ne dicam noxiis, hie ibi inquinari cœpit, quæ autem hic recensere locus prohibet. Ipfum tamen doctrinæ hujus nucleum inviolatum sancte & ubique fer-

---

(a) Doctrinam hanc de expiatione generis humani sec. 2:do in primis attigit defenditque IRENÆUS in V Libris, quos sub tit. Ελεγχοὶ αὐτοῖς Ἰησοῦς Φιλοδοξίας γράμματες, Gnosticeis hoc in dogmate errantibus oppofuit, & ex quibus loca præcipua excerpta legere licet in CHR. FR. RÖSSLERI Bibliothek der Kirchen Väter I Th. p. 271 seqq. Ut ea præteream, quæ in JUSTINI, CLEMENTIS ALEXANDRINI, ORIGENIS &c. scriptis hac de re paſſim, & plerumque in præcipuis ſaltem recte diſſeruntur, quamquam in devia hie & illuc ipſos deſſixſe, ſimul negandum non eſt.

servarunt, uno quasi ore docentes, CHRISTUM pro omnibus mortuum esse, sua morte totius humani generis expiatte peccata, gratuitamque eorum illis promeruisse remissionem. (b) Contra Pelagianos sec. V. doctrinam hanc infestantes AUGUSTINUS in primis illam defendendam masculine in se suscepit, scriptisque PELAGIO oppositis bene subinde explicuit. (c) Cumque tanta venerabilis hicce Ecclesiae Hippoensis Antistes apud sequentium seculorum Doctores valeret auctoritate, nt ejus vestigiis presso pede universa pæne Theologorum turba insisteret, eandem etiam fere, quam in ejus scriptis, doctrina haec diu servavit faciem, donec Philosophia Scholastica medii ævi, placitis ex Jure Romano Canonicoque mutuatis referata, caput extollere, Theologiamque Revelatam grandi supercilio ingredi cœpit. Omni fere S:æ S:æ intelligendæ & rite explicandæ seposita cura, ad mentem ARISTOTELIS jam cuncta Religionis capita, mysteriis ejus nequidem exceptis, erant examinanda conformandaque, unde innumeræ spinosissimæque prodibant quæstiones, magis ingenii ostentandi, quam veritatis eruendæ gratia susceptæ, quarum insignem messem etiam hoc in Articulo reperies. (d)

(b) Loca hanc rem probantia abunde collecta cernere licet in numeris laudato RÖSSLERI Bibliothek der Kirchen Vater.

(c) Conf. e. g. ejus Quæst. in Levit. Libr. III. Qu. XXIII. Operis contra JULIANUM L. VI. N. XXII. Confess. L. X. N. LXIX. Comm. in Joh. Evang. Tract. CX. &c.

(d) Eminet tamen inter Autores hujus ævi ANSELMUS, scriptor XII seculi acutissimus, qui in opusculo quod inscripsit: *Cur Deus homo?* justitiam indolemque expiationis CHRISTI vicaria, folide satis ex-

Misera itaque & deploranda Theologiae totius ad tempora usque Reformationis facies permanxit, cum LUTHERUS noster tricas Scholasticorum ex ea ejicere, simplicitatemque primævam huie etjam doctrinæ restituere, optimo consilio instituit, felicique omne opus hoc vere Herculeum peregit. Circa finem autem ejusdem seculi, cum e SOCINI, aseclarumque ejus scholis novi iisque infenissimi in doctrinam de expiatione CHRISTI vicaria impetus fierent (e), omnem in id Theologi orthodoxæ Ecclesiæ intendere cœperunt operam, ut & illorum molimina in evertendis ipsis Religionis nostræ fundamentis cohiberent, & veritatem novis appositis fulcris fartam tectamque retinerent ac defenderent, unde novum non minus decus quam firmamentum doctrinæ nostræ conciliatum est. (f)

Non

ponit defenditque, quamquam insimul ejus & scribendi & differendi ratio, seculi haud obseure prodat genium, tricarum utope & subtilitatem amantissimum. Vocabulum *satisfactionis* in hacce doctrina exponenda a multis hodie quoque usstatum, quod autem male intellectum litibus variis ansam dedit, hie, TERTULLIANO tamen quasi viam monstrante, in Theologiam invexit, licet recentiorum quidam illius inventionem AUGUSTINO male tribuant. Ad rixas haud necessarias evitandas ab usu illius nosmet abstinuimus, rem quantum fieri potest, stylo phrasibusque S:æ S:æ propriis exposituri.

(e) Hos qui penitus nosse desideraverit, SOCINI librum *de Servatore*, *Prælectionum* ejus *Theologicarum* Cap. XV seqq. CRELLII *Responsionem* ad HUG. GROTIUS librum *de Satisfactione CHRISTI*, præter alia ejusdem generis scripta, *Bibliotheca Fratrum Polonorum* inserita, *Catechismum Racovensem* &c. consulat.

(f) Longum foret tot veræ Religionis Patronos hic loci recensere, præsertim cum vix ullus eo ævo existeret magni nominis Theologus, qui contra hostes hos redēptionis CHRISTI arma non vibraret. Optime tamen & pro more suo in primis solide fidem Ecclesiæ Catholice exposuit tuitusque est HUGO GROTIUS, celebre illud sui seculi

Non tamen proh dolor! defuere, qui ab his inde temporibus, continuis & ad nosfros usque dies saepius repetitis incursis illam labefactare, veritatemque & justitiam expiationis CHRISTI vicariæ in dubium vocare omni opere conati sunt. Et quamvis novi quid afferre raro valuerint, ea fere ad satietatem usque repetentes quæ millies jam & dicta & explosa sunt, novo tamen magisque specioso dubia sua induere habitu, illaque magis comto & acuto dicendi genere in animos facilius insinuare legentium, probe adeo norunt, ut prudentia & attentione sane opus sit, ne imparatum in partes suas trahant. (g) Hinc

A 3

quo-

---

*litterarumque omnis generis decus, in egregio libro de Satisfactione CHRISTI, quem contra FAUSTUM SOCINUM Senensem Lugduni 1617 in lucem emisit, quemque utinam accuratius consuluerint in doctrina hæc tradenda plures sequentia temporum Theologi!*

(g) Videlicet in primis Anglia nostro anno multa hujus generis scripta, quorum principua forte dici merentur, quæ circa medium hujuscemodi seculi edidere JOH. TAYLOR & ARTHUR ASHLEY SYKES. Illius est: *The Scripture Doctrine of Atonement examined*, London. 1751; Hujus: *The Scripture Doctrine of the Redemption of man by JESUS CHRIST*, London. 1756; in quibus ambo hi, præclaris alias ingenii viri, in eo occupati sunt, ut dicta Sæc. Sæc. etiam clarissima, quæ nostram doctrinam fulciunt, inquis interpretationibus pervertant, argumentaque contra pro suo systemate defendendo ex illis, oborto eti, ut ajunt, collo eliciant. Præter hæc autem prodit ibidem decennio proximo præterlapsa caterva scriptorum ejusdem argumenti, quæ orthodoxiam Anglicanæ Ecclesiæ valde nobis reddidere suspectam, e quibus exempli loco nominasse fatis sit: *The Doctrine of Atonement briefly considered in a series of letters*, by W. GRAHAM, London 1772. præter multa ejusdem notæ opuscula, quæ inseruit D. PRIESTLEY suo *Theolog. Repertory*. Neque Germaniæ scholas hac labe esse immunes, neminem latere potest, qui vel parum habitum Theologiæ recentioris notum sibi reddiderit. Libet exempli loco nominare librum, quem recens edidit GOTH. SAM. STEINBART, Theol. ad Francof. Viadri Professor, sub

quoque evenit, ut erronea eorum latius latiusque fermentant placita, cohorsque hostium crucis CHRISTI in dies augeatur, ut vix unquam fatis vigilantes & industrii esse possint veritatis Evangelicæ amici in audacibus hilice adversariorum destruendis moliminibus, præsertim eum eo jam ventum sit, ut etiam non pauci eorum, quibus Religionis tenerrima cura commissa est, in hostium castra certatim quasi abeant.

Idoneum itaque nobis hoc visum fuit argumentum, in quo pertractando qualescumque ingenii pericitatem vires. Ne autem dicendorum copia in re tanti momenti obruamur, id in primis agere constitui mus, ut ceteris, quantum fieri potest, quæ in hoc Articulo a Theologis disputari & solent & debent omisis, *CHRISTUM vicariis pro humano genere solutis pœnis peccata nostra expiisse salutemque morte sua nobis peperisse* demonstremus, olim forte, & in alia, si Deo visum fuerit, dissertatione, doctrinam hanc orthodoxæ Ecclesiae vere Biblicalam, ab objectionibus & dubiis adversariorum vindicaturi palmariis, uberiori simul dogmatis hujus controversiarumque hac de re agitatum addita Historia.

## §. II.

---

titulo: *System der reinen Philosophie oder Glückseligkeits-Lehre des Christenthums*, Züllichan 1778; ut & alium: *Neue Apologie des Sokrates*, 2 Th. Berlin & Stettin 1776 & 1778. Auctore JOH. AUGUSTO EBERHARD, iam Philosophie ad Academiam Halensem Professore Ord. qui præprimis veteres Socinianorum in scenam reducens errores, nostram de redemtione CHRISTI doctrinam acutissime impugnat; multos alias ut silentio præteream, qui publicis eti in Protestantium Ecclesias fungantur muneribus, doctrinam tamen S:æ S:æ valde adeo contraria palam profiteri non vereantur.

§. II.

Ante autem quam ad ipsa argumenta nostram sufficientia sententiam recensenda nosmet accingimus, breviter significasse juvabit, quid hac de re demonstrandum nobis jam sit, quod quidem orthodoxæ nostræ Ecclesiæ doctrinæ sententiæque genuinæ conforme esse non dubitamus. Fatendum enim Theologos, antiquiores præsertim, non semper ea qua oportuit cautione & prudentia hoc in argumendo tractando sensa sua expressisse; quo ipso ansam adversariis præbuere nobis ea imputandi dogmata, quæ nec in S:a S:a, nec prudentiorum Doctorum scriptis ullibi obveniunt.

Non itaque dicimus DEUM ira & vindicta in homines exæstuantem, sanguine morteque filii cruenta placandum fuisse, ante quam ulla generis nostri tangeretur commiseratione; alia enim prorsus de ipso testantur plurima S:æ S:æ loca: ipsum nimirum terrimo nostri affectum amore, filium suum morti pro nobis tradidisse, quo sic, salva sua iustitia, peccatis nostris ignoroscere posset. (h)

Neque contendimus CHRISTUM in passione sua a DEO consideratum fuisse tanquam peccatorem, qui humanis revera inquinatus esset criminibus, quem impia Judæorum turba eum in cruce pendentem, DEOque non dilectum subsannarunt; (j) fuit enim semper

---

(h) E. gr. Joh. III: 16. Rom. V: 8. 1 Joh. IV: 9, 10.

(j) Matth. XXVII: 43. Conf. El. LIII: 4.

per sanctissimus, & ab omni culpa immunis, vicarias  
folummodo poenas, a nobis alias luendas sustinens.

Nec cum illis facimus, qui tacente S:a S:a ex fī-  
etis temerariisque principiis quasi mathematicam  
quandam aestimationem peccatorum poenarumque  
construunt, atque inde inferre haud verentur, malum  
sensus, quod sustinuit Salvator mundi esse exacte æ-  
quale omnibus omnium hominum doloribus æternis  
in unam summam collectis, quos, nisi intervenisset  
Redemptor, in inferno subituri fuissent. (i)

Ea autem demum genuina Ecclesiæ nostræ do-  
ctrina est, (ut verbis utar Theologi de hac doctrina  
meritissimi) *CHRISTUM innocentem & justum a DEO*  
*ipso omnium hominum loco fuisse constitutum ad ferendas*  
*pœnas, quas peccatores ferre debuissent, hanc substitutio-*  
*nem factam esse eum in finem, ut DEUS salva justitia*  
*sua & salute publica pœnas resipiscentibus remittere pos-*  
*sit; CHRISTUM itaque pœnas criminum revera tulisse,*  
*non autem a se promeritas, sed alienas. (k)*

Sta-

---

(i) Conf. ea que hac de re disputat J. A. ERNESTI in suo *Neue Theol. Biblioth.* Band. IX St. 10. & si placet C. FR. BAHRDT'S *Versuch eines Biblischen Systems der Dogmatik.* § LXV. Neque minus be-  
ne sensa sua hac de re profert J. D. HEILMAN in sua *Theol. Do-  
gmat.* § 255.

(k) Sententiam orthodoxæ Ecclesiæ sic explicat G. FR. SEILER in *Theol. Dogmat. Polem.* ed. alt. p. 331. Illam allatis verbis rite ex-  
pressam esse confirmant Aug. Confess. Art. Fid. III & Art. Abus. III,  
ut & Apolog. Aug. Conf. Art. XII. Licet latendum simul sit, priscos  
symbolorum horum Auctores, magis populari utentes oratione, nondum  
motis Socinianorum controversiis, non ubique qua hodie opus est  
æxegesia & exquisita sensa sua protulisse; quod nemo credo

Statuunt contra Sociniani, recentiorumque alii quidam, CHRISTUM hominem a DEO excellentissimis donis praeditum, eum tantum in finem in mundum missum suisse, ut de gratia DEI, omnesque felices reddendi serio proposito genus humanum certum redderet; cultum itaque V. T:ti Leviticum Judæisque solis sanctum, tollere, totumque genus humanum, morum & vitae diligenter inculcata emendatione, ad communionem salutis & invitare & ducere debuit, religionem profitendo universalem & longe præstantiorem, quam quæ olim viguerat, quamque & amicissimis admonitionibus, & eximiis miraculis, & sanctissimis suis moribus omnibus commendatam reddere studuit. Quo majorem autem doctrinæ huic conciliaret fidem, illamque fortius multo animis hominum imprimaret, dolores acerbissimos subeundo, eam morte denique obsignavit cruenta, amoris sui in genus humanum, obedientiæ DEO præstandæ, patientiæque in adversis, hominibus eo ipso relinquens exemplum maxime conspicuum. (l)

B

Faten-

---

mirabitur, quem docuit Historia projectæ a CHRISTO Religionis Evangelie, simile quid omni evenisse aeo, hostilesque in primis Hæreticorum in doctrinam veram impetus maxime ad robur illud decusque contulisse, quibus jamjam superbit Theologia presentis seculi. Conf. quoque in hoc dogmate enodando occupatos S. J. BAUMGARTEN in suo Evang. Glaubenslehre, Vard. 2. p. 208 seqq. ed. a J. S. SEMLER, J. F. BUDDEUS in Inst. Theol. Dogmat. p. 814. seqq. ed. 1741. C. W. FR. WALCH de Satisfactione pro omnibus hominum peccatis a CHRISTO prædicta. G. LESS Præd. Dogmatik p. 351. seqq. prater alios insignes Ecclesie nostra Theologos, qui junctis viribus in doctrina hacce & proponenda & fulcienda felici conatu versati sunt.

(l) Conf. præter antiquiora supra recensita Socinianorum scripta,

Fatentur sic CHRISTUM ad salutem quidem generi humano comparandam missum, passum mortuumque esse; mortem autem hanc vicariam fuisse, sive ipsum nostro loco mortem pœnasque peccatorum subiisse, nosque ob hanc cruentam ejus expiationem salvos fieri, in totum & tantum negant. De eo itaque in primis nos inter & illos lis est: Num mors CHRISTI vere vicaria & expiatoria fuerit; vel an eundem solum in finem, ob quem plerique Apostolorum aliquae veritates testes neci se se tradiderunt, illam oppetierit?

### §. III.

Operæ itaque pretium erit in fundamenta illa paulo altius inquirere, quibus suam de expiatione CHRISTI doctrinam orthodoxa Ecclesia superstruit. In limine autem jam ipso monere liceat, haec omnia in S:a S:a rite explicata unice quaerenda esse. Quicquid enim sola, ratione duce, de his Evangelii arcanis disputationarunt, & adhuc disputare solent Theologorum quidam, Wolffianæ Philosophiæ in primis imbuti principi-

---

ea que hanc in mentem commentatur jam allatus EBERHARD I. c. Th. 2. p. 203. seqq. Observare ad haec liceat, nostram de humani generis per CHRISTUM facta reconciliatione doctrinam, hosce quos descendunt adversarii adventus mortisque CHRISTI fines minime respuerere; quin potius illos & admittit & urget, illis autem præcipuum quendam addit & excellentiissimum, peccatorum nimurum nostrorum expiationem vicariam. Lectu dignissima sunt que hac de re habet J. C. DÖDERLEIN in *Instit. Theol. Christ.* p. post. §. 258.

cipiis, (*m*) argumentis suis DEO Filium suum quasi extorquentes, parum idonea esse, jure statuere mihi videor; ea si excipiam, quibus demonstrari debet doctrinam hanc, qualis in S:ā S:a nobis proponitur, nec DEI summis proprietatibus, nec sanæ rationi, nec denique saluti generis humani esse inimicam, quæque omnia apud accuratiores hujus rei Scriptores egregie disputata invenies.

Primum itaque pro asserto nostro demonstrando argumentum desumimus *ex sacrificiis V. T:ti, typis scilicet mortis a CHRISTO in N. T:to subeundæ*. Fuisse autem illa hujus imagines & symbola, jam ex summa quæ ipsa intercedit similitudine conjici, ex plurimis vero S:æ S:æ locis, Epistola in primis PAULI ad Hebræos, (*n*) pro certo confirmari potest. Hinc etiam factum est, ut sacri tam Vet. quam Novi Fœderis Scriptores, in opere CHRISTI mediatorio expонendo, locutionibus plerumque utantur ex sacrificiis Leviticis desumptis, hominibusque sui ævi maxi-

(*m*) E. gr. N. WALLERIUS in *Praenot. Throl.* P. IV. §§. 44-58 J. HARTMAN in suo *Beweis von der nothwendigkeit und wichtigkeit eines Erlöser*; J. F. STAPFER in *Instit. Theol. Polem. T. I. Sect. XI.-XVIII. &c.* Vid. quæ contra philosophastros hosq; differunt J. A. ERNESTII in *Vindiciis arbitrii Divini in Relig. constituenda*, insert. *Opusculis ejus Theol.* p. 286. seqq. & J. C. DÖDERLEIN l. c. §. 254.

(*n*) Legantur in primis ad hunc locum quæ C. IX: 23. seqq. & C. X: 1-12. (plura alia ut taceam), differit Apostolus, quæque clare adeo rem hanc probant, ut multa explicazione non egeant. Hanc tamen qui desiderat evolvat G. T. ZACHARIAE *Biblische Theologie*, Th. III. §. 183.

me familiaribus, quo sic melius clariusque finem & indolem mortis CHRISTI illis ob oculos ponant. (o)

Ad stylum autem hunc Sæ Sæ typicum rite intelligendum, necesse est, ut in anteceffum de sacrificiis Jadæorum propitiatoriis (p) pauca differamus; ex horum enim natura finibusque rite perspectiis, plurimum etiam lucis doctrina de Redemtione CHRISTI lucabitur. Fuere autem illa duplices generis, scil. vel *pri-vata*, quæ a singulis Israélitîs, ad expianda varia a se commissa crimina, pro re nata, quounque anni tempore DEO maestabantur; (q) vel *publica*, quæ totius Gentis nomine, solenni illo reconciliationis festo, decimo mensis septimi die quotannis celebrando, magna cum religione peracta sunt. (r) Maestatis publicis hisce piacularibus victimis, Sacerdos sanctuarium sanctius ingressus, de fanguine earum & super propitiatorium, & ante illud aspersit, quo ritu peracto totus populus DEO reconciliatus est. Patet itaque sacrificia haec, DEO, non homini oblata, meras civiles non fuisse cærimonias; hominem homini non reconciliabant, sed universam Gentem DEO, h. e. auferebant pœnas, quas DEUS Israélitîs, ob violata mandata sua minatus erat, (s) quasque, non interveniente solemnî

---

(o) Conf. e. g. Pf. XL: 6, 7, 8. El. LIII: 4 seqq. Matth. XXVI: 28. Joh. I: 29. Rom. III: 25. 2 Cor. V: 21. Eph. V: 2, &c. in seqq. uberioris explicanda.

(p) Reliqua sacrificiorum genera hic in censum non venire, aper-tum est.

(q) Lev. IV & V.

(r) Lev. XVI & XXIII: 27. seqq.

(s) Lev. IV: 20. & XVI: 30. Hanc genuinam esse significationem

Iemni hocce piamine, sine dabio fuissent habituri. Si-  
milem a peccatis suppliciisque eorum meritis libera-  
tionem & intendebat & affequebatur privatus quis-  
que Reipublicæ Judaicæ civis, cum piaculum, more  
in lege præscripto, debitum DEO fisteret; quod satis  
superque patet ex pluribus DEI ipsius per MOSEN  
effatis, cum sacrificia hæcce olim institueret. (t) Poë-  
næ autem, quas suffulere hæcce piacula, minime fu-  
ere spirituales s. cæternæ, has enim MOSES nullibi  
populo suo denunciat, PAULUSque expresse testa-  
tur, (u) sanguinem victimarum peccata prorsus tollere

B 3

mi-

---

voeis ΓΩΣ, qua hic & sèpius alibi eodem sensu utitur MOSES, ex  
pluribus aliis locis ubi occurrit manifestissimum est, e. g. Num. XVI:  
45. XXXV: 31. 2 Paral. XXIX: 24. 2 Sam. XXI: 3. &c.

(t) Lev. IV: 26, 31, 35. V: 6, 10, 13, 16, 18. Quamvis ita-  
que e. gr. temere jurans grave supplicium mereretur ex lege Exod. XX:  
7. victima tamen litata expiari potuit crimen ejus. Lev. V: 4, 5, 6.  
Furta severe prohibuerat DEUS Exod. XX: 15; peccata tamen hujus  
generis remittebantur, adducta hostia expiatoria, damnique illati laeso  
præstata reparatio Lev. VI: 1-6. Recte itaque minime se habent,  
quæ, quo vim piaculorum horum crimina expandi infringat, statuit  
Auctor Libri: Neue Apologie des Sokrates Th. II. p. 299. hanc seil.  
a penitentiam immunitatem illis solum contigisse, qui pœnitenti & devoto  
animo illa offerunt; hancque bonam eorum & emendatam animi in-  
dolem, minime vero ipsa sacrificia, penitentiam liberasse. Talem au-  
tem differentiam ignorat Lex Mosaica, quæ malos aequæ ac bonos e-  
iusdem privilegii facit participes. Negari saltem nequit, sacrificia so-  
lemnè illo reconciliationis die exhibita, toti Israëlitæ Genti securita-  
tem a penitentia, quæ ei aliquam immiscent, procurasse, quamvis in tan-  
ta turba mali perplurimi bonis immixti fuerint. Atrocièris generis cri-  
minum, e. g. homicidii voluntarii, adulterii &c. nulla tamen peccato-  
ribus sacrificiorum ope dabatur expiatio, sed penas his injunctas ipsi  
suffinere debuerunt. Num. XV: 30, 31. Conf. Psalm. LI: 18. & J. D.  
MICHAELIS Mosaïsche Recht, §. 244.

(u) Ebr. VII: 11. IX: 9, 10. X: 4.

minime valuisse; pœnæ autem, de quibus hic jam sermo est, fuere ejusmodi *mala temporalia*, quæ DEUS Genti Israëliticæ minitatus erat, si a legibus sibi sanctis vel transversum unguem recederet, (*w*) calamitates nempe omnis generis & infortunia, morbi, hostiles impetus, &c. quæ non solum totam Gentem, verum etiam quemcunque legis manebant violatorem. (*x*) Cum enim & oppido multa & difficillima observatu essent, saltem plura statuta legis Mosaicæ, placuit Divinæ bonitati viam peccatoribus miseris aperire, qua, post commissa crimina, in gratiam cum ipso redire, pœnasque sibi imminentes avertere possent, oblatis scil. victimis certis expiatoriis, quibus & peccatorum promerita supplicia in morte cæsorum animalium, DEIque summa in illos benevolentia, ipsis ob oculos posita sunt, & ansa simul suppeditata, præstantiorem futuri MESSIÆ sibi repræsentandi expiationem, quæ omnia eorum peccata funditus deleret. (*y*)

Quæ

---

(*w*) Omnia siue præmia siue supplicia, quæ cum legibus suis vel observatis, vel neglegitis DEUS per MOSEN connexuit, temporalia fuisse, neque ultra hanc vitam se extendisse, satis docent Lev. XVII, XXVI, Deut. XXVII & XXVIII. Reticeri in Scripturis Mosaicis immortalitatem animorum, adeo ut in illis nulla plane adsint ejus indicia certa, ut voluit WARBURTON, statuere tamen minime licet; cui errori bene opposuit jam laudatus MICHAELIS *Argumenta immortalitatis & futuri seculi ex MOSE collecta*. Conf. in primis §§. IV & VI.

(*x*) Supplicia hujusmodi luebant e. g. Filii ARONIS, MIRIAM MOSIS soror, seditionis KORAHÆ cohors, Rex ASARIA &c.

(*y*) Privata Civitatis Judææ membra sacrificiorum horum ope id præterea obtinebant commodi, ut jura reliquorum civium recuperarent, publicoque DEI interesse possent cultui. Hunc autem neque prijmarie

Quæ quum ita sint, præeunte in primis PAULO locis laudatis Epistolæ ad Hebræos, recte concludere possumus: Quemadmodum utrumque hoc tam publicum quam privatum Israëlitarum piaculum id effecit, ut qui illud DEO offerrent, pœnas criminum, ipsis alias luendas evaderent, & in gratiam cum lælo Numine denuo redirent; ita & CHRISTI multo nobilius sacrificium, mors nimirum ejus cruenta, pœnas peccatorum averruncare, salutemque omnibus illis restituere valet, qui ferio hujus beneficij fieri cupiunt participes. (z) Hoc præprimis respectu maxima inter sacrificia Vet. T:ti mortemque CHRISTI intercedit similitudo, quod expiatoria ultraque sint, quam etiam in S:a S:a multoties urgeri ita certum est, ut & ipse SOCINUS eam fateri necesse habuerit, (aa) licet

---

um, multo minus solum illorum fuisse finem, verba institutionis eorum Lev. IV, V & VI, luculenter demonstrant; quod contra quosdam recentiorum in primis tenendum, qui in sacrificiis V. T:ti nil querendum esse volunt, præter mulctam quandam Ecclesiasticam, quæ, abolendo crimina peccatorum in foro civili, privilegia civis Israëlitici hisce denuo restitneret. Primum autem de solennibus faltem anniversariisque pro toto populo peractis sacrificiis hoc valere non potuit; Deinde, si vel ad mentem adversariorum vim privatorum piaculorum restringeremus, (quæ tamen salva veritate adeo restringi nunquam potest), nihil tamen, me quidem judice, obstat, quo minus vi effati Paulini Ebr. IX: 13. eodem jure argumentari possumus, sanguinem h. e. mortem CHRISTI peccata nostra æque delere, ac sanguis viçimiarum olim eorum abolevit culpam, qui ob neglectam legem quandam Leviticam communione excluderentur cœtus Israëlitici. Vid. J. D. MICHAELIS Erklärung des Briefes an die Hebreer p. 243. seqq.

(z) Conf. G. FR. SEILERI opus hac in doctrina exponenda excellentissimum, über den Verschöhnungs Tod Christi Th. I. p. 141. seqq. ed. alt. 1782, qui pluribus hac de re egregie differit.

(aa) Vid. ejus Praelect. Theol. Cap. XXV. Quid de typis in ge-

et expiationem criminum in N. T:to, non proprie  
 morti CHRISTI tribuat, sed illam vi novi foederis  
 a DEO cum hominibus initi, morteque CHRISTI  
 faneiti, factam esse contendat. Non quidem negamus  
 sacrificia hæcce in multis perplurimum inter se differre;  
 quin potius cum PAULO id contendimus, CHRISTI  
 in N. T:to peractum sacrificium, Leviticis illis in V.  
 T:to multis præstitisse nominibus; Hinc autem adver-  
 fariis minime concedimus, nullam inter duas res a-  
 deo diversas valere comparationem. In effectu, pec-  
 catorum scil. expiatione & pœnarum remissione, si-  
 millima saltim sunt, qua de re nos inter & ipsos quæ-  
 stio inprimis est. Quocunque itaque modo doctrina  
 de sacrificiis V. T:ti demum proponatur, sive statua-  
 mus hæc typos fuisse Redemtionis a CHRISTO præ-  
 standæ, sive non; sive victimas vices peccatoris sub-  
 iisse, hujusque pœnas tulisse putemus, sive secus: ve-  
 ritas tamen, quam, respectu ad piacularia hæcce ha-  
 bito, urget Apostolus, immota manet, CHRISTI  
 morte æque sublatas expiatasque fuisse pœnas gene-  
 ris humani, ac olim Israëlitarum, cum victimas lege  
 præceptas pro peccatis suis DEO sisterent. Præstan-  
 tia autem CHRISTI præ victimarum morte, in eo  
 inprimis elucet, quod cum hæc neque omnia pecca-  
 ta, neque omnia eorum supplicia, (spiritualia nem-  
 pe

---

nere statuendum sit, quantumque in primis, qui in sacrificiis queruntur  
 Vet. T:ti, ad doctrinam de expiatione CHRISTI vicaria demonstran-  
 dam valeant, egregie docet J. D. MICHAELIS in sua *Theol. Typica*,  
 Conf. præsertim ad h. I. §§. 19-24.

pe & æterna, tollere valeret, illa omnis generis criminis eorumque etiam æternas pœnas fulfult.

### §. IV.

Ad oracula Divina hac de re in sacro Codice edita consulenda jam progredi lubet. Tanta autem cum illorum fæse nobis offerat copia, ut omnibus pandendis nec tempus nec locus nobis sufficient, ad palmaria tantum adtendisse juvabit, & quidem primum ad ea, quæ fab Vet. Fœdere Judæis enunciata sunt.

Sæpius jam olim cecinerat Vates Regius DAVIDES, (ob) de futuro MESSIA, ejus muneribus, & calamitatibus deinde variis ipsi subeundis. Quæ autem Psalm. XL: 7, 8, 9, de ipso vaticinatus est, de morte ejus vicaria inprimis agere videntur, quorum hic, ui fallor, genuimus sensus est: 7. *Aperiuiisti mihi, te nec sacrificiis, nec muneribus delectari, neque expostulasse te victimas, nec piacula.* 8. *Dixi itaque en (chorum loco) præsto sum: Quæ in libris suis MOSES de his eggerat, de me scripta sunt.* 9. *Ad exsequendam voluntatem tuam, mi DEUS, paratus sum.* Quod dudum demonstrare viri in facris litteris explicandis versatissimi, DAVIDEM hic MESSIAM loquentem introduxisse, cuivis patet, qui vel parum ad allata verba attenderit. Quis præter eum solum ad se ea referre potuisset, quæ MOSES de sacrificiis inprimis scripsérat? Quis alius, se ad ea exsequenda offerre, quæ

C

toto

toto hostiarum Leviticarum apparatu alias obtineri non potuerunt? Rem autem extra omne diuinum ponit PAULUS, qui effata haec DAVIDIS CHRISTO expressis verbis tribuit. (cc)

Sistit se MESSIAS hic tanquam Redemptorem humani generis, finemque adventus sui, more Poëtico, in dialogo quasi inter se & DEUM habito exponit. Negat sacrificia, cujuscunque demum generis fuerint, sive cruenta, sive incruenta, DEO placuisse, sumque haec neque expetiisse afferit. Cum autem simul omni dubio vacet, illa in lege Mosaica, quæ DEUM ipsum auctorem habuit, præcepta utique fuisse, sensus sermonis aliis esse nequit, quam DEUM legibus hifee id nequaquam unice voluisse, ut vietas tantum donaque alia sibi sisteret Gens Israëlitica; quaenam enim ratione sumnum Numen rebus tantilli momenti delectari potuisse? Sed finem illis intendisse longe nobiliorem & plerisque occultum, sibi tamen manifestatum, sacrificia nempe haecce eam præcipue ob eaussam instituta fuisse, ut adumbrarent futurum mundi Redemptorem, qui sua morte plenam denique & sufficientem peccatorum expiationem peratus esset; omnia itaque quæ in MOSIS scriptis de hostiis DEO sacrandis aguntur, ad MESSIAM proprie pertinuisse, ejusque significasse sacrificium. Cum enim nosset hic Divinus hominum Euergetes, vietas brutorum animalium nihil valere ad expianda apud DEUM peccatorum crimina, sua autem se id assequi posse morte sci-

sciret, lubenti amoreque in mortales exæstuante animo, sese D<sup>O</sup>E obtulit, ad culpas eorum tollendas cruento sui ipsius sacrificio.

Ex his itaque apparet, CHRISTUM, cum sese victimarum illarum loco substitueret, quibus olim adumbratus erat, sibi eo ipso id efficiendum sumfisse, quod præstare illæ non valuerunt, peccatorum scilicet humani generis plenam expiationem, morte itaque sua, nece hostiarum multo nobilio, omnium criminum veniam, suppliciorumque æternorum remissionem acquisivisse, quo ipso DEI voluntatem de salvando genere humano gloriofissime executus est. (dd).

Clarioribus autem verbis, magnaue locutionum varietate eandem hancce veritatem proponit ESAIAS, vaticinii sri Cap. LIII. comm. in primis 4, 5, 6. quorum sensum ita verissime reddendum existimaverim:

4. *Tulit certe morbos nostros doloresque nostros sibi imposuit; nos autem (Judæi) putavimus eum divinitus punitum, cœsum & afflictum.* 5. *Cum tamen non ob sua via peccataque, sed nostra, percussus est; pœnas nostræ salutis caussa subiit, ejusque vulneribus sanati sumus.* 6. *-- DEUSque omnium nostrum culpas in eum conjecit.* (ee)

C 2

Ad

(dd) Ubiorem hujus loci expositionem qui desiderat, consulat G. T. ZACHARIÆ Biblische Theologie Th. II. p. 539. seqq. J. D. MICHAELIS Critisches Collegium über die drey wichtigsten Psalmen von Christo, p. 312. seqq. coll. cum Ejusd. Erklärung des Briefes an die Hebreer p. 269. seqq. & J. C. DÖDERLEINS Institut. Theol. Christ. p. post. p. 174, 175.

(ee) Conf. R. LOWTH'S Esaias I. Band, p. 212. & J. A. DA-THII Prophetæ majores p. 155.



Ad hæcce rite intelligenda scitu opus est, Judæos morbos calamitatesque varii generis, præsertim acutiores, tanquam pœnas sceleribus maxime nefandis a DEO impositas considerasse; idque eo ex capite, quod DEUS hujusmodi mala legis suæ violatori bus minatus erat, (ff) imo etjam illa & Judæis, & aliis Gentibus, ob mandata sua fusque deque habita, revera inflixerat. Hinc DAVIDES morbo correptus, de vindicta DEI, peccata sua persequente, queritur. (gg) HIOBO maxime infortunato & ulceribus affecto, tot dolores pœnarum instar Divinarum infi-  
ctos, sœpe & uno quasi ore amici ejus professi sunt. Apud Prophetas quoque multæ hujusmodi locutiones occurunt. Strages, vastationesque terrarum, tanquam vulnera & morbos, h. e. supplicia gentis afflitionæ, popularibus suis ob oculos ponunt; eos autem a pœnis & excidio imminentि liberatos, sanatos appellant. (hh) Quid quod in N. T:to plura hujus sententiæ vestigia reperire liceat. Discipuli CHRISTI cœcum quendam a nativitate intuentes, ob sua vel parentum peccata, gravi adeo malo ipsum afflictum putarunt; (ii) & CHRISTUS ipse ægros sanaturus, remissionem peccatorum illis denunciat. (kk) Hinc & MATTHÆUS hunc ESALÆ locum expresse laudat,

---

(ff) Deut. XXVIII & alibi sivepius.

(gg) Psal. XXXVIII: 2. seqq.

(hh) Conf. e. g. Ek 1: 5. seqq; XIX: 26, Jer. XIV: 19, Hos. XI: 3. &c.

(ii) Joh. IX: 2.

(kk) E. gr. Matth. IX: 2, 6.

Vulnera ergo, morbi & dolores a DEO injecti, stilo Prophetico nil aliud significant, quam pœnas, quas sceleribus suis sibi contraxere peccatores. Sensus itaque verborum ESAIÆ allatorum commodissimus hic esse videtur, MESSIAM ea peccatorum supplicia in se suscepisse sufficiensque, quæ alias ipsi luctare debuissent homines; quod pluribus clariusque mox urget Propheta v. 5 & 6. eandem veritatem variis verborum formulis plurib[us] exprimens. V. 8, 11 & 12 eum propter peccata populi sui mortuum affirmat; imo v. 10. mortem ejus, sacrificio pro peccatis, s. p[ro]p[ter] aculo illo Levitico assimulat; qui tot diversi, sensu tamen iidem loquendi modi, extra omne dubium ponunt, MESSIAM a DEO tot obrutum plagis atque cruciatibus, hæc omnia mala, tanquam supplicia hominibus irroganda, horum loco perpeccatum fuisse, quod sic his immunitatem a pœnis & plenam denique salutem pareret. (mm)

C 3

§. V.

(II) Cap. VIII: 17.

(mm) Præter interpres supra allatos egregie, et si breviter locum hunc ESAIÆ comparatum cum Joh. I: 29. exposuit J. A. ERNESTI in programmata de *Satisfactione CHRISTI*, quo festum Paschatis 1775 celebrandum annunciat. Fuisus autem idem oraculum explanatum exhibet vastus iste in totam S:pm S:tia: commentatoris, quem circa medium currentis seculi, in Germanicam linguam translatum auctumque & expolitum edidere TELLER, DIETELMAIR, BAUMGARTEN & BRÜCKER enjus Tom. VIII. ESAIAM illustratum continet.

Docent duo hæc ex codice V. T:ti allata loca, doctrinam de vicaria JESU CHRISTI pro hominibus morte, jam sub Veteri Fœdere Vatibus saltim non fuisse incognitam; quamvis simul inficiandum minime sit, illam in scriptis N. T:ti magis pianam traditam fuisse omnibusque intelligibilem. Et quoniam ad veram hujus rei notionem sibi formandam, ea sane maxime facere videntur, quæ CHRISTUS ipse de fine indoleque mortis suæ locutus est, ea primum ut breviter examinemus, instituti nostri ratio postulat.

Clara in primis sunt, quæ dicit Matth. XX: 28 & Marc. X: 45; *Venit eum in finem filius hominis, ut daret vitam suam redēctionis p̄t̄um p̄o multis;* & Matth. XXVI: 28. *Est hic sanguis meus, novi scil. Faderis, p̄o multis effundendus in remissionem peccatorum.* Quod ad prius dictum attinet, observandum, vocabulum *av- leḡ* proprie p̄t̄um illud, sive res sit sive factum, significare, quo quis ex captivitate, vel servitio, vel alio quocunque malo redimitur; *avleḡ* autem ipsum liberandi actum denotat. Sensu hoc proprio Judæi olim, Romanorum subjecti imperio, inf:gnem a futuro MESSIA liberationem peragendam fore sperabant. (nn) Hunc autem minime adventus sui fuisse finem, vel ex allatis SERVATORIS effatis clarum est. Venit certe ad liberandum genus humanum; liberatio autem hæc spiritualis omnino fuit. Mortis peccati-

que

que nos olim submissos fuisse tyrannidi, saepius urgere solent sacræ Litteræ, h. e. nos a DEO aversos peccatis totos nos dedidisse, hisque nobis contraxisse mortem, criminum scilicet summum & ultimum supplicium. Ad hoc jugum nobis excutiendum CHRISTUS apparuit, morteque sua nostra & peccata & eorum tollens suppicia, libertatem amissam benigne nobis restituit. Mors itaque ejus pretiosissimum illud *λύτρον* fuit, quo nos a peccatorum culpa pœnisque vindicati sumus.

Ad locum hunc illustrandum observare porro licet, omnia illa *λύτρα* olim appellata fuisse, quæ pro evitandis suppiciis redimendaque vita, sive DEO, sive hominibus oblata sunt. (oo) Cumque sacrificiis ut plurimum piacularibus vim hanc culpas expiandi pleræque veteres Gentes tribuerint, mors quoque CHRISTI, sacrificii specie proposita, *λύτρον* illud merito censeri debet, quo pœnis Divinis genus humatum

(oo) Habet hæc HESYCHIUS in dictionario suo: *λύτρον* h. e. *ἱμηρία*, *λύτρα παραμετά*, *λύτρα ηγετού πατριών* τα διδουέται εἰς απαλήνον αὐθεωπτῶν. Vid. etiam quæ de hoc vocabulo commentatur EUSTATHIUS ad *Iliad* A. v. 14. & Θ: v. 545. Ita ZALEUCI oculus fuit *λύτρον* oculi filii; & in decimatione qui puniuntur *λύτρον* sunt totius legionis. Conf. H. GROTIUS de *Satisfactione CHRISTI* Cap. VIII. Hinc & saepius LXX interpres vocabulo hoc eodem sensu usi sunt, e. g. Exod. XXI: 30. XXX: 12. Num. XXXV: 31. Prov. XIII: 8. &c. ubi textus Hebraicus **לְדֹבֶר** habet, cuius significationem peccata expiandi, pœnasque eorum tollendi supra demonstravimus. Cfr. H. GROTTI Annot. in N. Test. ad Math. XX: 28. & D. WHITBY'S *Paraphrase and Commentary on the New Testament*, ad eundem Matthei locum.

num exemptum est. (pp) Hinc & CHRISTUS jure affirmare potuit, se animam suam dedisse *pro multis*, h. e. loco multorum. (qq) Nos enim omnes, nisi vitam pro nobis posuisset THEANTHROPOS hic nostri amantissimus, ex justo DEI judicio, miserere fuisse perituros, quis est qui non devotissimo animo gratus agnoscat?

His positis, neque multa explicatione egent, quæ SALVATOR, Matth. XXVI: 28. Sacram Cœnam instituturus, Discipulis suis dicit. Afferit hic expressis verbis, *sanguinem suum N. Ttū effusum iri in remissionem peccatorum*. Quemadmodum enim sub veteri Fœdere sine sanguine nulla fieri potuit expiatio, (rr) sumum

(pp) Eodem hocce loquendi genere eandem veritatem sèpius in scriptis suis urget PAULUS, e. g. Eph. I: 7. Col. I: 14. I Tim. II: 6. Tit. II: 14. & PETRUS i Ep. I: 18. quæ omnia ex allatis facile explicari possunt. Conf. Dissert. III. *De Redemtione Ecclesie sanguine JESU CHRISTI facta*, quam *Locorum Theolog.* JOH. GERHARDI T. IV. præfixit J. G. COTTA, §§. in primis XII & XIII. ut & J. G. ROSENMULLERI *Scholia in N. Test.* T. I. p. 262.

(qq) Hanc veram propriamque voculæ *exsū* esse significationem aperte demonstrant Ios. II: 14. (v. LXX Int.) Matth. II: 22. V: 38. Luc. XI: II. Rom. XII: 17. I Cor. XI: 15. & plura alia loca, ut milie exempla ex Auctloribus Gracis petenda præterea. Fatendum quidem illam interdum, quamvis rarissime, improprie suntam, causam finalem exprimere, synonymamque quasi esse *Ἰω ἐπεκεν*, e. g. Eph. V: 31; cum autem a communiter recepta propriaque vocis significatione nunquam, nisi summa urgente necessitate, recedendum est, talisque fere hic nulla ostendit necessitas, sed potius & ea quæ jam dicta sunt, & quæ infra dicenda restant, extra omne dubium ponunt, mortem CHRISTI piaculi instar, pro humano genere fuisse vicariam, patet hoc quoque SERVATORIS effatum ita explicandum esse, ut omnia quæ in doctrina hac tradenda nobis aperit S: a S: a, amicissime inter se convenient.

(rr) Ebr. IX: 22.

mum vero Sacerdotem oportuit semel quetannis, sanguine victimarum effuso & propitiatorio asperso, populi expiare peccata, pœnasque ei alioquin impendentes, sacro hocce ritu avertire; (*ss*) ita & CHRISTUS, novi foederis unicum & nobilissimum piaculum, sanguinem suum effundi passus est pro multis, (*tt*) in remissionem peccatorum, h. e. quo humanum genus, totum alias peritum, e culpa suppliciorumque promeritorum cruciatibus eriperet. (*uu*) Dicit itaque CHRISTUS se moriturum, non eum præcipue in finem, ut doctrinam morte sua obsignatam veram Divinamque monstraret; nec quo hominibus patientiae exemplum quoddam insigne traderet; sed quo crimina eorum aboleret, suppliciisque æternis ipsos eriperet. Tantum autem beneficium nec doctrina, nec adhortationibus, nec miraculis, nec denique re-

D.                          sure-

(*ss*) Lev. XVI.

(*tt*) Verba: πέμψων hic idem significare, quod supra αἴτης πολλῶν, Matth. XX: 28. ex analogia harum dictionum fatis patet.

(*uu*) Vox Græca ἀφίειν propriè significat a se amovere, deservere, dimittere, & s. p. atque ita sumitur Matth. IV: 20. & alibi s. p. Unde funta metaphora frequentissime denotare solet, rationem aliquius rei non habere, quod Latini simili locutione dicunt: missum aliquid facere, quare & Scholia Græci passim ὁ ἀφίειν exponunt pro ἡ αὐτήν, quo sensu Matth. XV: 14. XVIII: 12. XXIII: 23. & Marc. VII: 8. occurrit. Est itaque ἀφίειν τὸ αὐτόν idem ac peccata missa facere, quod alibi, longius hanc translationem persequens Scriptura, vocat peccata in mare projicere Mich. VII: 19. Hujusmodi autem dicendi rationes, quid queso aliud significant, quam peccatis ita ignoroscere, ut in censum amplius nunquam veniant, sed remittantur omnia ipsis constituta supplicia. Conf. H. GROTIUS l. c. Cap. II.

forectione sua efficiendum ullibi differit; morti suæ illud totum tribuit: *Hic est sanguis meus effundendus pro multis in remissionem peccatorum.* Equis clarioribus verbis proponere potuisset, mortem CHRISTI causam esse, cur nos DEUS eriminum nostrorum poenis liberet? (ww) Nemini, nisi præjudiciis jamjam irretito, alia eorum unquam in mentem incurret, ne dum placebit explicatio.

(ww) Liberationem a peccatis, gratiosamque eorum remissionem sanguini CHRISTI pluribus locis PAULUS queque tribuit. Conf. c. gr. iam allata Eph. 1: 7. Col. 1: 14. & Rom. III: 25, quibus addatur Rom. V: 9, ut alia N. T. loca taceant. Nullibi contra Divina haec vis peccata tollentii sanguini Prophetarum, & aliorum Martyrum affectur, quamvis & hi morte sua doctrinam, quam profitebantur, vitamque quibusvis virtutibus consiperant obligavissent. Centies testante S: a S: a soli sanguini JESU CHRISTI privilegiata hæc tanti momenti competit. Conf. ad hæc quæ solide scripti G. H. LANG zur Beförderung des nützlichen Gebrauchs des Teletischen Wörterbuchs des L. Test. sub tit. Blut Christi.

